



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Florentino Episcopo Viennensi Martyre,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

AN CHR.
CCXXXVI.
III JAN.

DE S. ANTERO PAPA ET MARTYRE.

S. Anteros
Papa.

Anteros Papa, qui aliis Antherus, Anterus, Antherius, in sacros fastos pridem relatus, ut patet ex veteri Martyrologio Romano, Beda, Usuardo, Adone, Bellino, Mawolyco, et ceteris.

2 De eo hæc habet liber de Romanis Pontificibus : Anteros natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis XII, (expungunt alii annorum numerum) mense uno, diebus XII, martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Maximini et Africani Coss. Hic gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit : propter quod a Maximo Præfecto martyrio coronatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Episcopum unum (Addit codex Baronii : Fundis in Campania.) Qui etiam sepultus est in comitio Calixti, via Appia in Nonas Januarii : et cessavit Episcopatus dies XII. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae tradit ex Petelia urbe magna Græciæ maritima oriundum fuisse.

*Baron. Maxi-
mini.

Ex Petelia
urbe ortus.

Acta Marty-
rum per 7 No-
tarios describi
solita.

3 Porro de Martyrum Actis describi solitis ista habet Baronius tom. 2, an. 238, n. 2. A Clemente Papa primum magna diligentia curatum fuit, ut a septem Notariis, per regiones Urbis divisim, gesta Martyrum scriberentur. Deinde Fabianus Papa, qui suc-

cessit Antero, de quo est sermo, ut magis magisque historiæ veritati consultum foret, septem Notariis huic operi adscriptis, qui Acta Martyrum integra exciperent, septem præfecit Subdiaconos. Porro Notariorum opus fuisse existimamus, ut non ipsa tantum Acta, cruciatus nempe, diraque ac sæpius repetita tormenta describerent, sed etiam quæcumque iidem sancti Martyres locuti essent, dum caperentur, ac publice torquerentur; quæ item ad supplicia ducti, fuissent interlocuti, memoriæ commendarent.

4 Illa autem quæ intra cancellos, obducto velo, coram iudicibus, cum de ipsis quæstio haberetur, iidem rogati dicerent; publicorum Exceptorum muneris erat, cuncta scriptis mandare, et inter publica Acta referre : quæ cum agerentur in provinciis Proconsularia ab Augustino et aliis dicta reperimus. Porro hæc ipsa, vel horum potius exemplum, a Christianis collata pecunia redimi solebant, et inter Acta Martyrum sedulo asservari. Quæ vero extra cancellos cum Martyribus agerentur vel dicerentur, ab Ecclesiæ Notariis, magna adhibita cautela, consuetis notis quam celerrime tabulis adnotabantur. Hæc Baronius. Olim S. Anteros festo simplici colebatur, ut ante diximus.

Alia ab Excep-
toribus re-
dempta.

NOT. 49

CIRCA
AN CHR.
CCLVIII.

DE S. FLORENTIO

EPISCOPO VIENNENSI MARTYRE,

III JAN.

S. Florentius
Episc. Vien-
nen. in exi-
litium missus :

Sanctus Florentius Præsul Viennensis IX tempora Gordiani, Philippi, Decii, Galli, et Volusiani decuecurrit : quando Novatus B. Cypriani Presbyter Romam veniens, Novatianam hæresim condidit. Anniversaria ejus dies est in Non. Januar. quando post exilium mortem pro Christo pertulit. Ita Bibliotheca Floriacensis à Joanne Boscio edita, et Joannes Chem.

2 Claudius Robertus, Martyrologium Usuardi Colonia editum auctum anno 1490 et 1521. Beda, Molanus in Addit. ad Usuard. Martyrologium Germanicum, Ado, aliique, S. Florentium octavum Viennensis urbis Episcopum scribunt fuisse. Credo quod Desiderium et Dionysium confundant. MS. Bedæ Martyrologium Ba-

varicum : Eodem die S. Florentii Juvenensis (lege Viennensis) Episcopi et Martyris VII, ejusdem urbis.

3 Martyrologium Romanum : Vienna in Gallis S. Florentii episcopi, qui tempore Gallieni Imperatoris in exilium relegatus, illic martyrium consummavit. Ejus præter citatos meminerunt MS. Florarium Sanctorum, et Galesinius. Martyrologium S. Hieronymi : Vienna, depositio Florentini. De eo Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum : Anno gratiæ 241 Florentius Viennensis Episcopus vita et doctrina claruit. Mansit autem usque ad Gallieni et Volusiani imperium, exulque martyrium complevit.

4 Notherus cum in Januarii refert, his verbis : Vienna depositio B. Florentii Episcopi.

Coronatur
martyrio

Doctrina cla-
rus.

CIRCA
AN CHR.
CCLXXXIV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEOPEMPTO EPISCOPO ET THEONA.

III JAN.

Martyrologium Romanum hos cum Zosimo et Athanasio conjungit, refertque in Januarii; quas Galesinius, et Ferrarius IV, Molanus vult et Menæa; in quibus ita eorum memoratur certamen :

2 Sanctus hieromartyr Theopemptus Episcopus, excitatæ a Diocletiano Imperatore persecutionis primam procellam excepit, et quod Christum Deum in-trepide confiteretur, corona donatus est martyrii. Captus quippe atque ad Imperatorem pertractus, cum ei errorem suum exprobarat, in ardentem conjectus fornacem, inde innoxius evasit. Tum oculus ei eruitur. Post lethale venenum combibit, cujus tamen vis divinitus, ne labem pateretur, exstincta. Quod cum

S. Theopem-
ptus in ignem
conjectus, ex-
cæcatus, ve-
neno potatus
innoxie;

cerneret Theonas magus, qui illud ei miscerat, Christi fidem est amplexus.

3 Sed Theopemptus aliis quoque cruciatibus supplicisque affectus, demum gladio percussus occubuit. At Theonas in effossam scrobem demissus, injecta desuper terra oppressus est; sicque ad Christum victor migravit.

4 Eadem Menæa in Jan. hæc habent : SS. Theopemptus et Theodote, quæ fuit mater sanctorum medicorum, qui sine pecunia ægros curarunt, Cosmæ scilicet et Damiani. Hunc Theopemptum eundem esse censet Raderus noster qui in Januarii colitur : sed nullum video certum ejus conjecturæ fundamentum. Theodoten isthic retulimus.

Theonam ma-
gum cover-
tit.
Uterque pro
Christo occi-
ditur.

NOT. 50.

DE